

GENEROSSIMO DOMINO
 DOMINO
HENNINGO
A THINEN,
 IN WARLEBERG ET RATH-
 MANSTORF
DYNASTAE,
 MAGNO NOBILITATIS HOLSA-
 TICAE SPLENDORI

ATQUE ORNAMENTO,
 CUM IPSIUS PRID. KL. JUN. AO. MDCCCLVITA
 FUNCTI EXEQVIAS XVI. KL. SEXT.

EJVSDEM ANNI
 MOESTISSIMA VIDUA
 PIE AC SPLENDIDE
 CURARET,

EXIGUUM HOC MAGNARUM VIRTUTUM
 MONUMENTUM
 OBSERVANTISSIME DIGAT
 CONSECRATQUE
SEBASTIANVS KORTHOLT,
 PÖESIOS PROFESS. QRDIN.

KILONII,
 Typis BARTHOLDI REUTHERI, Academ. Typogr.



Ille ego qui nuper cladeis, properataque **C A J I**
Funera, lugubremq; vicem, fraternaque busta
Carmine ferali luxi: Tua, Maxime **THINI**,
Fata necemque cano, scissis quem moesta capillis,
Demisso vultu, cultusque oblita fuique,
Attonitos inter Nati Nataeque ululatus,
Et Fratris gemitus (qui post tria funera solus
Fratribus ex **THINI** vivit, vivatque superstes!)
Ante diem Conjux delamentatur ademptum.
Eheu! quam rerum facies funesta videtur.
Fletus ubiq; & ubiq;dolor, documentaque luctus,
Et longe positae discunt haec funera gentes,
Atque edit vanos in primis Cimbria questus.

Ah! furor est rivos lacrymarum effundere ina-
Nilque adjuturo sese permittere luctu. (nes,
Quin quocunq; modo leto eripiamus & umbris,
Et latebris tumuli coecis latuisse vetemus,
Et patrio exciti fluvio pia carmina cycni
Phoebei cantent, tollantque **ad sidera pennis**
Eximia virtute virum ac praestantibus ausis.

Laudabunt alii proavosq; atavosq; paternos,
Spectatos bello Heroas, pacisque ministros,
Ettotam **THINI** repetent ab origine gentem,
Et famam generi factisque ingentibus addent.
Quod saxum quondam multo conamine volvit
Vir doctus, *veterum qui scripta annosa parentū
Corruptasque sitū chartas, semesaque verba
Cura credibili majore terendo, senesque
Priscarum gnaros rerum fandique rogando,
Funereumq; omnem lapidē cippumq; movendo
Eruit antiqua quicquid de stirpe tenemus.

Tu solus mihi Carmen eris, qui laudibus anteis
Tot patrum laudes & nomina clara tuorum,

* Jo. Dan. Eberus Insignia & Tabulam Genealogicam Dominorum à Thini-
nen edidit Kilon. 1670. Et

Et linquis post terga genus majoribus ipsis
Nil minor, atque Tibi, Vir Maxime, sufficiis unus.
Sed neque virtutes cunctas extollere versu
Ordinar: illa rotis aliis via longa teretur.
Artibus instructum placidis, doctisq; studentem
Materia numeris nos conveniente canemus.
Scilicet haec tantum nostris sunt viribus apta
Et sedet hoc solo mea tendere carbasa ponto.

Nondum signabas stabili terram pede : linguae
Vix tenerae nexus & vincula solverat aetas,
Cum virtutis iter puerili in sistere planta,
Anticipare annos, laudis dare signa futurae,
Illustrem viridi genitorem fassus ab aevo.
Longae paulatim visae decrescere vestes,
Parvula jam volvit libros manus : indole votum
Exsuperas docilis patris, curamque magistri,
Et potis es doctas audire & reddere voces.
Abstulerant primam Musarum Sacra juventam,
Otia Kilonio concedis : gratia fandi,
Et linguae Latialis honos Te curaque tangit,
Et priscae ruditis historiae fugis hospes haberi
Sive novae, & quasvis animum dimittis in artes.
Nec tua se tenuit Cimbro sollertia Pindo,
Te juvat Argentina, tuis loca commoda Musis,
Arripis hic quicquid potuit seu jure peritus
Tradere, sive suis Copernicus additus astris,
Aut vetus Euclides, & non minor arte vetustis
Tycho, polumque cupis sublimi mente tenere,
Et Lunae faciem obscurae Solisque labores,
Prudentique notas coeli spatia ignea vultu.
Plejades atque Hyades, Helice que & aquosus Orion,
Et modo Virgo tuos oculos, modo Tauri & Haedus,
Atque Ariadneae modo detinuere coronae.

Digna

FKTh 9339

x3005602

Non indigna tuos poscunt spectacula vultus
Utilitate vias multa pensantia longas.
Praeponis Rhodanum patriis Tibrimque fluentis,
Et Te delitiis rerum suavissima spectat
Gallia, & illecebris sicut longumque moratur,
Et nisi miranti nemo quae lumine vidit
Concedit lustranda tuo, novus advena Romam
Visis, & Ausonia ponis vestigia terra.
Nec tamen interea non lassat pagina dextram
Crebra tuam, & nullum frustra Tibi labitur aevum,
Et quotquot mundi loquitur pars optima linguas
Percipis, in primis Galloque Italoque politus.
Sunt ornamento pretiosae moenibus aedes
Artificesque trabes, animataque saxa figuris,
Magnificaque arces, & tecta minantia coelo;
At maior decus est urbis vir doctus & artis
Ingenuae gnarus, studiisque instructus honestis.
Haec inter patriae versaris lumina; coelo
Ire Tibi visus, rutilosque errare per axes,
His sine Gallica terrasolum Tibi vile videtur,
His sine nec Romana placet nec patria tellus.
His cupis innatus viris, in pectore doctus,
Doctus in ore Tibi. doctorum limina pulsas,
Et doctis postes pandis blandosque lacertos.
Quid magis egregium, generosis mentibus ardor
Quis magis innatus, quid pulchrius, aut mage dignus
Laudibus esse queat, quam devinxisse Camoenas
Omnibus officiis, & conciliasse merendo.

Salve Musarum fautor, generate sovendis
A puero Tibi dilectis ante omnia Musis.
Evehat assiduis praefens Te plausibus aetas,
Et tribuat nullo perituro tempore honores,
Grataque posteritas dicat Tua nomina, THINI.

VD18

NO.

GENERALISSIMO DOMINO
DOMINO
HENNINGO
ATHIDE
IN WARLEBER
MANST
DYNAS
MAGNO NOBILI
TICAE SPLI
ATQUE ORN.
CUM IPSIUS PRID. KL. FUN
FUNCTI EXEQVIAS
EJVSDEM A
MOESTISSIMA
PIE AC SPLE
CURARE
EXIGUUM HOC MAGNA
MONUMEN
OBSERVANTISSI
CONSECRAT
SEBASTIANVS K
PÖESIOS PROFESS.

KILON
Typis BARTHOLDI REUTHERI, Academ. Typogr.

